

XII. Si verò jam in *causam impulsivam* curas nostras intendamus, & quænam illa fuerit, quæ populum Christiano iter hoc suscipiendi occasionem dederit, penitiùs disquiramus, facilè reperiemus, eos *primò* periculum imminens publicæ calamitatis ex signis tunc præsentibus humanâ ratione apprehendisse. Dederat enim Deus clementissimus Judæis omnia media in salutem ipsorum tendentia jam respuentibus, varia & quidem maximè horrenda signa atque prodigia, quibus calamitates ipsorum instare, ac certò eventuras esse declarabat: inter quæ, (ut cætera siccò prætereamus pede) hæc duo præcipua erant: quod paulò ante defectionem festo Pentecostes Sacerdotibus noctu in templo sacrificantibus vox fuerit audita, quæ clamabat: *Migremus hinc*: deinde, quod Jesus quidam, Anani filius, homo plebejus & rusticus, quadriennio jam ante bellum, exitium urbis ac templi, usque ad destructionem eorum deploravit, ita ut, cum subinde eadem magno clamore ingeminarer, neque multis verberibus, neque gravissimis flagris ab eo deterreri potuerit: de quâ relegatur *Euseb. L. III. c. VIII. Hist. Eccl.* ex quibus aliisque, licet Judæi obstinati, nihil verò meliores redderentur, Christiani tamen facilè colligebant, se non amplius in urbe tutos fore, sed aliam sibi quærendam esse, in quâ periculo subducti, veram religionem exercere liberè possent.

XIII. Accedebat *altera* causa, quæ ipsos ad iter instigabat, clarum mandatum ac antiquum monitum Servatoris nostri apud Matthæum XXIV. cap. descriptum: ubi egressus ipse è templo, discipulis suis ædificii structuram tam insignem firmamque admirantibus & magistro spectandam commendantibus plenam ejus